

Boerhavia foliis ovatis, floribus lateralibus compactis,  
caule hirsuto procumbente Mill. dict. 4.

Raptim haec . Vale.

Upsaliae 1770. Jul. 25.

C. Linné.

---

52.

Viro amplissimo DD. Nic. Jacquinio.

Figura ista Bromeliae Karatas perplacuit, gratias ago  
quod hanc orbi dare voluisti.

*Cichorium pumilum* profecto valde affine est *Cichorio Endiviae*; an differat uti *sylvestris* ab *hortensi* diutius culta?

*Mesembryanthemum* cymbiforme habet multa affinia cum *Mesembr. falcato*; sed in praedio constitutus, remotus ab horto Botanico nondum dicam.

Sicca planta erat *Erysimum repandum*. *Trifolium* istud acaule vocavi *Trif. apetalum*.

*Asterem* nullus facile determinet, nisi videat plantam florentem et perfectam, forte etiam tum neque sine difficultate, pessimum est genus *Asteris*.

*Allium pannonicum* speciosissimum est in suo genere, gratias ago pro bulbillis, sed quis vivat dum illi florebunt, vide quomodo differat ab *Allio Victoriae*.

Browalliae serantur in terra praegnante in olla, ut facilius dignoscantur, mitto utramque, cave ne varietates dicas, utramque per 30 annos distinctas colui.

Habeo tantum unicum specimen *Dryadis pentapetalae* siccum, sed perfectissimum, ne credas *Geum reptans* esse, quod vivum mihi est in Horto, habet *Geum* istud folia lyra, lata, pubescentia, *Dryas* autem folia tenuiter laciniata, glabra, quale omnino (ni fallor) a *Lobelio* pingitur.

Stupendum facinus committis edendo plantas more